1.

PETRI
IACOBI ZOVELLI
CARMAGNOLENSIS
ARTIVM ET MEDICINAE
doctoris Commentarius
de pestilenti statu,
IN QVO, QVICQVID AD
PESTEM CVRANDAM
ATTINET,
clarissimè continetur.
NVNC IN LVCEM EDITVS.

Non sine priuilegio.



VENETIIS,
Apud Franciscum Portinarium,
M D LVII.

CLARISSIMO THOMAE PHILOLOGO RAVENNAE MEDICO.

FRANCISCVS A PORTINARIIS.

S. D.

CVM MVLTAE artes ſint, harum vna Medicina magnã opem hominibus ſemper tuliſſe cẽſetur: hinc à Dijs Apolline, & Aeſculapio in terris ortum habuiſſe traditur. Quæ duplex eſt; nam alteram, quæ ad contemplationem ſpectat, Græci theoricam; alteram vero, quæ ad actionem, praticam appellant; ſed contem-

platiui magis philoſophi, quàm Medici eſſe dicuntur; propterea quòd in cognoſcendis cauſis, earúmq; effectibus, in quibus potiſſimùm philoſophia verſatur, operam dant. Actiui & ſi vtrunque nomen ſibi vendicant, tamen, cũ ſeſe à morborum cauſis auertũt, omnem vim actionis amittũt. Itaque qui Medicus optimus eſſe vult, idem, & optimus philoſophus eſſe debet: cuius generis exẽplũ, ne à doctiſsimis, grauiſsimíſq; Hippocrate, & Galeno quæramus, vnum habemus in auctore huius Commentarij de peſtilenti ſtatu, adeo doctè, diſertéque ſcripti, vt cum quò uis altero doctiſſimo, diſertiſsimóq; meritò conferri poſsit. Quem, cum animad-

uertiſſem magno vſui fore ſi ederetur, ad te ſtatui dicatum iri, vt meæ erga te beneuolentiæ ſignū haberes. Noui animum tuum, & quàm in omni diſciplinarum genere ſis verſatus. Teſtis eſt hæc vrbs, quæ tibi plurimùm debet, propter ædes pulcherrimas, ſplendidiſsimáſque templi Diui Iuliani abs te reſtitutas; quarum gratia ita in omnium ciuium oculis es, vt ſolus videaris dignus in oculis omnium ſemper eſſe. Teſtes ſunt omnes cœtus doctiſsimorū hominū Patauij, vbi non ſolùm in ſanādis ægris, ſed in diſputandis quæſtionibus, ínq; legēdis veterū ſcriptorū grauiſsimis libris, ſummum Medicū, ſummúmq; philoſophū omnibus te oſtendiſti. ex quo fit,

platiui magis philoſophi, quàm Medici eſſe dicuntur; propterea quòd in cognoſcendis cauſis, earúmq; effectibus, in quibus potiſſimùm philoſophia verſatur, operam dant. Actiui & ſi vtrunque nomen ſibi vendicant, tamen, cũ ſeſe à morborum cauſis auertũt, omnem vim actionis amittũt. Itaque qui Medicus optimus eſſe vult, idem, & optimus philoſophus eſſe debet: cuius generis exẽplũ, ne à doctiſsimis, grauiſsimiſq; Hippocrate, & Galeno quæramus, vnum habemus in auctore huius Commentarij de peſtilenti ſtatu, adeo doctè, diſertéque ſcripti, vt cum quò uis altero doctiſſimo, diſertiſsimóq; meritò conferri poſsit. Quem, cum animad-

uertiſſem magno vſui fore ſi ederetur, ad te ſtatui dicatum iri, vt meæ erga te beneuolentiæ ſignū haberes. Noui animum tuum, & quàm in omni diſciplinarum genere ſis verſatus. Teſtis eſt hæc vrbs, quæ tibi plurimùm debet, propter ædes pulcherrimas, ſplendidiſsimáſque templi Diui Iuliani abs te reſtitutas; quarum gratia ita in omnium ciuium oculis es, vt ſolus videaris dignus in oculis omnium ſemper eſſe. Teſtes ſunt omnes cœtus doctiſsimorū hominū Pataui, vbi non ſolùm in ſanādis ægris, ſed in diſputandis quæſtionibus, ínq; legēdis veterū ſcriptorū grauiſsimis libris, ſummum Medicū, ſummúmq; philoſophū omnibus te oſtendiſti. ex quo fit,

vt non minor laus tibi ſit bene mereri de literis, quàm de ſtruendis Deorum ſacris ædibus. Quamobrem te rogo, vt ſinas me hũc commentarium tibi dicatum emittere, vt quæ à grauiſsimo Medico traduntur, ea grauiſsimi item Medici titulo cohoneſtãtur. Id quòd ſi feceris magnũ uſum mihi erit, tuóque nomini iuuabit plurimùm. vale.

CAPITA HVIVS COMMENTARII DE PESTILENTI STATV.

DE STATV

PESTILENTI COMMENTARIVS

PETRO IACOBO ZOVELLO CARMAGNOLENSE MEDICO AVCTORE.

PESTIS *Galeno teste, in præfatione librorum Hippoc. de morbis uulgaribus ex eorum morborum; est generis, qui tum* Endimy, *tum* Epidimion *Græcè, dicuntur Latinè, uulgares, & populares, & intestinos non ineptè dixeris, quod publicè grassentur, & , populariter utraq; sparsi sint, è genere (inquit) uulgaris est morbus pe-*

stilens, quinimo inter populares perniciosissimi sunt, qui pestilentes uocantur, etenim huius est apud omnes homines notio, & pestem appellant omnes homines, sciuntq; exitialem morbum esse, unde ad Deos sæpe referunt de curatione eorum consulentes. Sed ne cui nominum uarietas in posterum imponat, id in primis adnotandum est; morbos quosdam inuadere nullos in communi, è, quorum numero sunt hi quos Hippoc. libro de aere, & aqua & locis Pancoenus hoc est uniuersales, & gregarios uocauit; qui separatim quemlibet inuadunt, hos dispersos, & dissimiles nominat Hippoc. libro de ratione uictus, inter communes Endimij id est publici, sunt alij uero, Epidimij, & Epidimion, idest populares uocantur, ex quorum postremo genere non infimum sui malignitate, & pernicie occupat locum pestilens morbus. Causam autem, cur in publicum serpat tam longè & latè popularium hoc morborum omne genus, qui hæc tractant satis oscitanter, & quantum tanta res exigebat negligentius mihi uidentur attulisse, ut hac in parte. Quin-

ti sententiam, quemadmodum in prohœmio lib. uulgarium morborum refert Galenus mihi uideantur confirmare, qui nulla habita ratione causæ, sola perspectam causam esse experientia impudenter affirmabat. Longe tamen Hippoc. est uisum, is porro libro de natura humana particula ij. Aphoris. ij. morbos publicè uigentes cum ambientis nos aeris coniungit statu, quando eius euitandi nulla ratio habeatur, sed inuitis etiam nobis hauriendus, & quouis tempore presenti cœli statu utendum, ut hoc nomine aer uulgarium morborum causa sit censendus, Sed præstat uerba Hippoc. recensere quæ sic se habent. Morbi fiunt, partim a uictu, partim à spiritu cuius attractione uiuimus, utroq; hoc sanè modo distinguens ubi multi uno morbo homines corripiuntur eadem tempestate, causam illi attribuere debemus, quod est maxime commune, & quo præcipue omnes utimur, id autem est quod respirando attrahimus, tunc enim uictum uniuscuiusq; nostrum nequaquam in causa esse manifesto constat, cum morbus omnes iuxta attigit tam Iuue-

*nes quàm senes tam fœminas quàm uiros,
perinde uinum ac aquam bibentes. tam qui offam quàm qui panem comedunt, tam qui parum quam qui multum laborant, ergo non fuit uictus ratio in causa potissima, cum homines quoquo uictu utentes in eundem incidant morbum. At ubi diuersis eodem tempore morbis homines afficiuntur suus cuiq; uictus sine controuersia potissime causa est. His uerbis ut etiam exponit Galenus cœlum constituit Hippo. non uictum esse uulgarium omnium causam morborum.*

AER QVOMODO PVTRESCAT. CAP. II.

PESTILENS *itaq; morbus ab inspirato aere non quouis sed putrefacto trahit originem, quod qua ratione fiat abundè docet Galenus primo de differentijs febrium cap. iiij ut sit principium putredinis aeris, uapor putridus a cadaueribus inhumatis aut paludibus*

elleuatus, tum etiam ex nimio, & immoderato æstu putrescit aer, ut sub cane, quemadmodum pestilentia, quæ inuasit athenienses uiuentes enim peregre in Tugurijs non perflatis homines æstate illa corruptio efficiebat. Verum hæc postrema putredinis aeris causa, quam adfert Galenus nobis sicco pede haud est prætereunda, neq; enim ut nec dictu ita nec creditu est facile aerem propter æstuantem solem putrescere, presertim cum Aristotelis sit testimonium Sectione.xxv. problemate.xix. Ignem quòd semper calidißimus sit, nunquàm putrescere; ut neq; aerem propterea quòd aer igne refertus sit, utpote Aristotelis sententia debeat aer ab æstu immodico a putrefactione potius uindicari; enim uero si putredinis rationem omnem & causas ab eodem auctore libro iiij. metheorum traditas (quas secondo de differentijs febrium cap.xij. confirmat Galenus) in medium pro ponamus, non solum huic. Sed eadem opera permultis alijs Galeni locis detrahent, & incauto lectori Imponent. Putredo siquidem eo auctore nihil aliud est quàm uictoria qua-

litatum paßiuarum supra actiuas concurrente calore externo ambientis nos aeris, qua ratione motus Galenus libro primo de differentijs febrium cap.iiij.& longè euidentius. xi.methodi.viij.ea solum uult putrescere quæ calida sunt & humida. Hippoc. autem in libris de morbis uulgaribus pestiferas omnes tempestates ex humida cœli constitutione uidetur ubiq; prædixisse, quod cum bonus Auicenas deprehendisset pestilentes febres in aere humido & turbido frequentes, mitiores tamen, tempore uero calido rariores. uerum longè maligniores esse prodidit. Sed tantum abest, ut hic difficultatem diluat (quod tamen decebat eum qui se amborum interpretem profitetur) fecisse; quinimo potius longè maiorem difficultatem posteris hac in parte uidetur reliquisse. Mea uero sententia uidetur locus ille Galeni in primo de differentijs febrium cap.iiij.ita intelligendus nō quasi ille constanter affirmet & asseueret, aerem propter nimium æstum pestilentem euasisse, sed quod potuisset quilibet facile suspicari eius æstatis calorem immodicum fuisse in causa; Forte

deorum nutu pestilens morbus ibidem grassabatur (ut placuit Homero in primo iliadis) referens crysen Sacerdotem Agamemnonem (qui briseidam filiam suam surripuerat) insequentem, ea haud quaquàm precibus ab illo obtenta Appollini illam uouisse imprecans ut de Græcis uindictam sumeret; inde Apollo ira concitus radijs solaribus pestem græcis immisit, quæ prius inter canes, demum per homines grassabatur; huiusce deniq; pestis causa a calcante nestoride per responsa detecta fuit. Verum cum id forte fabulosum esset, ommißit Gallenus, refert potius id contigisse per continuitatem, eo quòd ex Aethiopia fluxissent mala inquinamenta, quæ his qui habebant corpora læsioni parata causæ febris extiterunt; poterant siquidem per nilum inquinamenta putrida uersus atticam regionem fuisse delata, & nos me hercle docent hæc Galeni uerba ipsum non latuisse pestem morbum esse contagiosum, quod tamen recentiorum quidam arbitrantur; eo quòd roma procul non aufugisset cum ibi inseuiret pestilens morbus illudq; Antonino

Imperatori non prædixisset. Ob id non parum principi nostro, ac toti patriæ pedemontanæ timeo, quando inter gallos talem pestiferum morbum affatim grassari in præsentiarum ob audiam; nec per continuitatem aeris aliqua deferantur contagia, ob id aliquid inferius de præseruatione aeris dicere decreuimus. Verum ut ad id unde diuertimus redeamus. Omnes celebres uiri, qui de Aeris putrefactione scripserunt uno ore affatim dixere, quòd aer calidus & humidus omni alia aeris temperatura paratior est ad suscipiendum putredinem. Hoc enim testatur Auenzoar iij. Teisir tract. iij. cap. primo. Iuxta initium tum ad humidos uapores a terræ ciuitatibus eleuatos tum ad siderum humidum influxum, hoc refert aerem intermedium propter diminutum (ab eorum nimia humiditate) calorem corrumpentem. Auerrois in lib. iiij. collectaneorum cap. iiij. Iuxta medium ponit duo genera corruptionis aeris; alterum ex uaporibus, alterum in substantia propria quod dicit accidere ex multitudine imbrium. Galenus loco allegato tantum locutus est de

putrefactione aeris, quæ ex inquinatis uaporibus excitatur, relatum enim inuenio sæpius in historijs ex multarum locustarum morte pestem in Italia grauem successisse sed Princeps prima quarti tract. iiij. cap. primo putat substantiam aeris non posse putrescere uerum tamen qualitatem putridam posse a Vaporibus putridis recipere, id forte desumpsit a Philosopho in xxv. sectione problemate. xix. qui existimauit ignem neq; aerem putrescere, inquit enim, quod putrescere debet refrigerari prius conuenit, aer autem non potest refrigerari, cum ignis secum plurimum habeat, quare nec putrescere. Enimuero cuilibet diligentius rem ipsam perquirenti facile compertum erit, opinionem philosophi ueriorem esse, Nam si in pestifera constitutione aer secundum substantiam putresceret, omnia animalia nedum omnes homines tunc necessario morerentur, at hoc nunquam accidisse compertum est. Verum secundum Auerroem & Auenzoar aer secundum substantiam putrescere potest, dicendum quod leuissimam putrefactionem suscipit sic, & alia elementa

quia hæc ex toto quiescere non possunt, quod autem putrescit aliquantisper necessarium est ut quiescat, & huic sententiæ nec philosophus nec ipsa ueritas repugnat, & ob tam remissam putredinem aliqui semper etiam homines, & in grauissima euaduntpeste, tum beluarum genera multa maximè ualidè, Vtillimum igitur erit hic meminisse (quod difusius tractabimus ubi de præseruatione aeris differemus) ubi aer corruptus est altissimis locis habitandum uel ubi ex terræ halitu processerit pestis, at si aliunde uenti eam detulerint, quod discrimen patriæ pedemontanæ Galliæ uicinæ imminet, humilibus casis tum etiam melius subterraneis. Possem ad planetas tantum causam pestis referre, quæ res exemplo unico euadet dilucida, finge interim dum proponuntur cartaginis erigenda mœnia turres, porticus & id genus alia (quæ in bene instituta ciuitate desiderantur) aliquem ex planetis directè respiciētem tunc talem ciuitatem, interim dum primum suæ mansionis gradum conscendit occurrere Marti in eodem prorsus situ, aut Saturno, tunc.

propter terribiles horum planetarum aspectus infœlix fit in talem ciuitatem influxus, ut eam bella, pestes, odia & inimicitiæ sequantur, ut uarijs tumultibus & periculis nonnunquam non sit futura obnoxia, Sed cum medicus omnia sensuum beneficio metiatur et confirmet, a quibus ista longo interuallo absunt pestis igitur causa rectius cum Galeno putrefacto aeri humoribus ad hanc ipsius inspiratione suscipiendam putredinem paratis tribuemus. Cæterum aer infectus huiusce (ut diximus) pestiferi affectus potissima causa est, ipsa tamen sola aeris infectio pestem excitare haud quaquam potest, ut inquit Galenus primo de differen. feb. cap. iiij. alioqui nemo immunitus e peste euaderet, quinimo illud sit potissimum ac perpetuum non leuem partem generationis non solum pestis, sed et omnium morborum esse efficiendi corporis preparationem, Actus enim agentium fiunt in passo præparato ut testatur Aristoteles secundo libro de anima Tex. 24. Contingit autem humores peccare præsertim ex malo usu sex rerum non naturalium, & post ae-

rem non parui sunt ad hoc momenti edulia, seu mali cibi, qui mali esse possunt tripliciter, uno modo ex mala conseruatione, quamuis sua ipsorum natura boni sint; ut cerealia ac horarij fructus in humido loco reseruata; sic & uestes nisi distentur, putrescunt. Altero modo ex mala præparatione, ut oua frixa ac nimis indurata. Cum tamen ea si bene præparentur, sint laudabilia, boni & multi nutrimenti. Tertio modo cibi mali sunt ex natura propria ut legumina & plura olera ac alia per multa quæ pestem Romanis attulerunt, ut Galenus ipse testatur libro de cibis boni & mali succi circa initium libri. Quare ubi pestis aliqua incidit suspitio, hoc interim non leue erit ad præseruationem remedium, abstinere ab esu prauorum ciborum & salubrem & moderatam uictus rationem instituere, ea quæ rariorem corporis habitum reddunt ut frequens coitus, immoderatum exercitium ac complura id genus alia effugere ne facilius infecti aeris impreßiones suscipiat qui aer eligendus ac quo modo is deniq; præparandus sit seorsum aliquid dicemus. Quod

si corpora propter intemperatum uictum aut cacochimia aut plectoria iam laborent, sibi cauebunt, si sedulo soliciti sint, sine mora in uitioso aut abundanti omni succo educendo & euacuando, qua ratione Galenus permultos alioquin morituros nisi sibi cauissent, seruauit. Incipiente porro pestilenti constitutione quæcunq; corpora uiderat humida quouis modo per sumenda nempe admouenda, & educenda exsiccabat, sicciora seruabat similibus, excrementis deniq; plena purgationibus sanabat, quascunq; uero meatuum obstructiones aperiebat, cuius exemplo si discamus futurum est ut nostra opera munda iam innumera corpora aut parum aut nihil a pestilenti aere uitij contrahant.

DE STATV EX QVO FEBRIVM GENERE SIT PESTILENS FEBRIS. CAP. III.

CAETERVM non omittenda est hoc loco uulgata ea controuersia ad quod genus febrium referatur pestifera febris, propter eorum auctorum qui hanc excitarunt celebritatem. Nonnulli siquidem hanc inter ephimeras numerant, alij inter Ethicas, priores his fermè mouentur rationibus, propterea quòd easdem habet causas, quas habet ephemera et similis est ambarum ortus & generatio, uel Galeni testimonio primo de differen. feb. cap. iiij. qui cum de productione febris ephemeræ ab æstu solis uerba facit, uult calidam inspirationem spiritus cordis calefacere per quam totum corpus plus æquo calefit, quæ res si nimium augeatur fieri febrem deinde subdit, & inspiratio in peste potißima causa est, ex quibus uerbis eliciunt apertißime inspirationem feb. pestilen-

tis causam esse, quo fit ut eandem cum ephemera habeat generationem & causam. Huc accedit quòd ambarum natura (quæ per signa tanquam umbras & effectus morbi nobis relinquitur, eadem prorsus esse contingat; quod et auctoritate Galeni in libro v. *de simpli. medicamentis cap.* v. *in fine et testimonio Auicenæ in prima quarti tract. iiij. c. primo liquido comprobari potest, in quibus locis ipsi inquiunt in feb. pestilenti quandoq; contingere ut nec calor nec pulsus nec urinæ a naturalibus quales erant per sanitatem mutatæ sint aut parum admodum, quibus signis febris ephimera a putrida distat & cognoscitur ex mente Galeni primo libro de differen. feb. cap.* vij. *qua ratione existimant Galenum eò libro primo quem dedicauerat febribus immaterialibus ephemeris nempe & ethicis de pestilenti febre pertractasse, alioqui si inter putridas connumerasset aliquid de ea libro secundo attigisset, quod ab eo legimus prætermissum. Quòd etiam Ethica esse poßit id auctoritate Galeni confirmari potest in tertio libro de præsagitione pulsuum cap. iij. sic enim, in-*

quit, qui quidem præter cæteros perierunt, animaduertimus eos primis statim diebus & pestilentia laborare & pessime affectos esse ex acredinis calore atq; ipso caloris genere, deniq; quòd pulsus parum præter naturam immutati his in eo statu perpetuo maneant, Nam in genus præcipue Ethicarum quas uocant febrium incidunt huiuscemodi pulsus ex quibus omnibus sententijs apertissime comprobatum est feb. pestilentem tum ephemeram tum Ethicam esse. Huiusce sententiæ Rasis inter arabes non contemnendus author fuisse creditur, qui libro. x. ad Almansorem cap. vi. eam parum ab ephimera distare credidit, curam tamen Ethicæ feb. interim exposcere audacter affirmet, sed ista, pace tanti uiri, dixerim a mente Galeni longe lateq; dissentiunt. febris enim ephemera secundum Galeni sententiam toto genere est salubris, nec alicui infert mortem, at pestis contrario se habet modo, imo inter populares morbos (ut pauloante dicebatur) est pernitiosissima. neq; de genere ethicarum ipsa est cũ forti euacuatione, uel a principio secundum Galeni sen-

ten=

tentiam in feb. pestifera opus sit quæ & si ethica esse poßit; curam tamen ethicæ non exposcit; quando ab alijs ethicis multum distet quare & ipse Auicenas dixit curam illius esse excitationem. Quamuis autem pestilentis febris generatio similis sit productioni ephemeræ, ut a causa externa, & procatartica fere semper ambæ ortum trahant, utpote aere, quo signo cap. vij. primi libri de differen. feb. Galenus nos deducebat in ephimeræ cognitionem. Interim tamen aliud longe maius desideratur in peste, corporis nempe afficiendi præparationem, adeo ut per putridam aeris inspirationem humores male dispositi inficiantur & non per aeris inspirationem solum, quæ res naturæ febris ephimeræ quãtum repugnet, uel is qui Galenum summis labris degustauit non ignorat, propter eam igitur communitatem; ut ambæ a causa procatartica ut plurimum procedant, ob id eadem opera de illis libro primo feb. Oportuit Galenum merito fecisse sermonem, quod non decebat eum facere lib. secundo. Quandoquidem & si inter putridas pestilentem feb. censeret nume

randam, quia tamen particularem humorem ſibi non determinat, ſed ſi in corpore redundet bilis, quæ putreſcere ſit parata bilem occupat, ſi pituita, pituitam, ſi bilis atra, atram inuadit, quod cum animaduerteret Galenus longè aliter in alijs putridis, quæ uni humori ſingulæ ex illis adictæ ſunt, hinc fieri exiſtimauit merito nullum huic lib. ſecundo propter hanc diuerſitatem eſſe locum, eo maxime cum hanc etiam citra obſtructionē ex ſola humorum infectione ab aere putrido inſpirato ducere initium animaduerteret ex quibus oculatus lector morbi huius naturam ex nobis facile diſcere poterit, quod tamen nullus antehac nec per tranſemnam quidem ſomniauit, id tamen non parum ad curandi rectam rationem faciet. Nam ſi contigat pituitam in corpore peccare, protinus hæc ab inſpirato aere inficitur, & hanc imprimis inuadit peſtiferus calor phlegmaticæ febris inde naturam referens, unde omnem ſuam operam in educenda pituita primis illis diebus optimo iure tunc collocabit medicus, quod niſi fiat procedente tempore, ubi altius maligna

illa affectio inualuerit, protinus irruet in alios humores, tandem omnes interim facile inficientur, qua ratione natura priſtinum opus relinquens, humores abominatur, quam rem ſine mora omnium humorũ corruptio promptè ſequitur, hinc fetidæ illæ excretiões de quibus Galenus lib. ſecũdo pronoſticorum xxvi. & primo lib. de Criſibus cap. xvi. & iiii. lib. Apho. commen. xlvii. malarum nunciæ affectionum, perſimilem habentes ortum icoribus ſanioſis & fœtidis, ſeu Virulentiæ, quæ a putridis emanat ulceribus; nihil arti ad conſequendam ſanitatem conferentes. Quod autem iſti de calore ſuaui, pulſu & urinis per parum de natura deflectentibus adferunt perinde in peſte fieri quemadmodum in ephimera, non imus inficias hoc per aliquot dies perſeuerare poſſe, quo tempore putrida qualitas inſpirata ut dicam uenenoſa in corpore latitans, infirmam in membris ſpiritualibus ac tenuẽ alicuius putridi humoris portiunculam obſerpens medicis incautis facile imponit dum non animaduertunt contagiem tunc temporis ſuperficie tenus humorem duntaxat occupaſſe,

non secus ac in morsis a cane rabido comperimus in dies, icirco in hoc temporis interuallo fieri potest ut nec pulsus nec urine a naturali diuersæ sint, aut parum uarient, attamen momento temporis cum altius increuerit hoc malum illicto petit cor, quo tempore licet perbreui & exiguo necesse est arteriarum naturalem motum, urinas, calorem & id genus reliqua non parum mutari, & quia de repente hominem iugulat, tum propter temporis breuitatem, tum etiam quòd sit contagiosum ac non ita tutum ista tunc obseruasse, ideo uel quia non obseruassent antiquiores medici, uel potius quod esset momentaneum, preterijt Galenus, & Auicenas, hinc satis patet quàm affabre (hi qui oppositam sentētiā adstruunt) incauti proprio laqueo se illaqueent, nempè si quod putridum inspiratur spiritus tantum occupasset, quando hi nequaquam dißimiles uerum similes penitus sint in partibus; Cum pars aliqua putrido affectu correpta esset, continuo omnes indifferenter inualuißet putredo, hominemq; de repente iugulasset, non perinde in humoribus contingit; utpote qui dis-

similes existant. Huc accedit, quòd spiritus cum igneam substantiam affatim referant, ac continue huc atque illuc difluant, ac refluant, putrescere haudquaquam poterunt, dictum.n.fuit supra elementa ob eam causam non putrescere, quia continuè in proprijs locis dimoueantur. Quod si postremam hanc nostram interpretationem non admittant, sed uim faciant in cellebrium horum duorum auctorum uerbis, cum aiunt homines peste correptos unà cum ea urina & pulsu perparum a naturali deflectente interire, suo denuo se iugulent gladio est necesse, nam ex ephemera ut talis perseuerat, nemo moritur, & illi ex pestilenti ea febre cum his signis contendunt interire hominem, non erit igitur ephemera febris pestilens, uerum non imus inficias pestilentis febris aliquod genus excitari posse, quod ethicam redoleat, id tantum dicimus nihil cum ethica quam ipsi credunt huic esse communem, quando nec in caloris essentia utpote acriorem calorem obtineat, ut palam testatur Galenus in lib. tertio de præsagitione expulsibus nec eam recipit curatio-

nem, quam ethica, cum nulla curatione iuuetur, & si qua esset curatio, cum hæc ut dicit Galenus ex putrido affectu cordis excitetur eßicātibus perficeretur, eget autem ethica feb. humectantibus potius ea neque si accuratius uerba Galeni perpendamus, eundem huic perinde ut ethicis febribus esse ortum deprehendemus, Quando hæc ab externo pestilenti aere excitetur, ethicæ autem uel etiam tabidæ ab interna, causa ortum, trahant, ut dicit Galenus in primo de diff. feb. vii. quod si ibi in cap. viij. dicat aliquas ethicas similem cum ephemeris habere ortum ut ex ira & tristitia, illas tamen facillime curari posse ait, quia solam siccam qualitatem obtineant ac non multum. impressam; hæc uero pestifera ut testatur Galenus, penitus ullam nec ethicæ nec aliam recipit curationem. Cū hæc non ex leui sicca qualitate sed ex putrido substantiæ cordis affectu excitetur.

QVIBVS INGENIIS VTI DEBEAMVS IN FEB. PEST. ET *an mittere ſang. liceat. Ca.* IIII.

SED *quo illuſtriora euadant omnia cum febrem peſtilentem in putridarum feb. numero eſſe firmis ſatis rationibus monſtratum fuerit, perquiramus denique num hi canones quos Galenus lib. undecimo Methodi & Auicenas prima quarte in febribus putridis obſeruandos perſcribunt, hic obſeruare conueniat, omnium primus eſt uentris lenitio cum enæmatibus. Secundus ſanguinis mißio. Tertius lenitiuum per os exhibitum. Quartus uomitus. Quintus prouocatio ſudoris. Sextus prouocatio urinæ, ex quibus (ut nos recte ipſe docet Galenus primo libro ad Glauconem cap. de cura tertianæ feb. exquiſitæ) quod nobis per tres poſteriores canones indicatur ita ſemper obſeruari a nobis conuenit, ut quem motum natura parata ſit facere, & per quæ loca animaduertamus, quam*

nem, quam ethica, cum nulla curatione iuuetur, & si qua esset curatio, cum hæc ut dicit Galenus ex putrido affectu cordis excitetur eßicãtibus perficeretur, eget autem ethica feb. humectantibus potius ea neque si accuratius uerba Galeni perpendamus, eundem huic perinde ut ethicis febribus esse ortum deprehendemus, Quando hæc ab externo pestilenti aere excitetur, ethicæ autem uel etiam tabidæ ab interna, causa ortum, trahant, ut dicit Galenus in primo de diff. feb. vii. quod si ibi in cap. viij. dicat aliquas ethicas similem cum ephemeris habere ortum ut ex ira & tristitia, illas tamen facillime curari posse ait, quia solam siccam qualitatem obtineant ac non multum. impressam; hæc uero pestifera ut testatur Galenus, penitus ullam nec ethicæ nec aliam recipit curationem. Cũ hæc non ex leui sicca qualitate sed ex putrido substantiæ cordis affectu excitetur.

QVIBVS INGENIIS VTI DEBEAMVS IN FEB. PEST. ET an mittere sang. liceat. Ca. IIII.

SED quo illustriora euadant omnia cum febrem pestilentem in putridarum feb. numero esse firmis satis rationibus monstratum fuerit, perquiramus denique num hi canones quos Galenus lib. undecimo Methodi & Auicenas prima quarte in febribus putridis obseruandos perscribunt, hic obseruare conueniat, omnium primus est uentris lenitio cum enæmatibus. Secundus sanguinis mißio. Tertius lenitiuum per os exhibitum. Quartus uomitus. Quintus prouocatio sudoris. Sextus prouocatio urinæ, ex quibus (ut nos recte ipse docet Galenus primo libro ad Glauconem cap. de cura tertianæ feb. exquisitæ) quod nobis per tres posteriores canones indicatur ita semper obseruari a nobis conuenit, ut quem motum natura parata sit facere, & per quæ loca animaduertamus, quam

si recte & per conuenientia loca operantem uidemus, auxilia & remedia quæ naturæ uestigia sequantur intentemus. Sed præstat ordine singula excutere, Clysterem nemo est qui eum, tum in principio febris pestilentis, tum etiam procedente morbo non utilem fore censeat; prouocare autem uomitum, sudorem & urinas, si natura per horum aliqua aut quædam paret se exonerare est nostra opera adiuuanda & non aliter, ut oporteat eos ualde errare, qui in principio cuiusuis febris etiam a materia crassa & rebelli pendente exhibent sirupos de duabus radicibus, nec his solum contenti, quinque semina cibis & potibus permiscent, inscij adhuc an natura paret se exonerare per urinas aut per sudorem aut per uomitum potius, & quod deterius est materiam illam uiscidam ac crassam ad uias urinæ diuertentes in illud summe perniciosum uitium irruemus, quod maxime omnium timebat Galenus lib. septimo Methodi cap. ultimo, urinæ uidelicet meatuum obstructionem, si cum aperientibus sudorem excitabimus ad oppillationem potius non parum

addemus materiam admodum crassam in angustis uijs propellendo infarciemus haud secus quàm ipse docebat Galenus octauo libro Methodi cap.viij. Sed pergamus inueniemus forsan alia longe meliora. Nempe Administratio missionis sanguinis et pharmaciæ seu catartici in hac egritudine magnam excitauit inter nostros medicos controuersiam, num his duobus præsidijs simul huiusce morbi materiam expurgare forti impetu etiam ab initio conueniat. Missio sanguinis stante magnitudine morbi ac uirtutis robore ex præcepto Hippo.lib.quarto de ratione uictus in acutis morbis tex.xvij.est aggredienda. Qua in re sibi caueat medicus oportet, & si enim primis diebus morbus hic mitis & nullius ferme momenti, quandoque uideatur, magnum tamen esse etiam eo ipso tempore morbum sibi persuadeat oportet dummodo ægritudinis huius mores et æstus eum non lateant, Quandoquidem morbus magnus teste Galeno lib. de cura per missionem sanguinis cap. viij. is dicitur non solum qui energia & actu talis nunc est sed qui etiam magnus est futurus.

Hanc nostram sententiam confirmat Auicenas his ferè uerbis. Curatio earum est exsicatio & illud cum flebotomia & solutione uentris, quod licet ex Galeno desumpserit ut inferius monstrabimus; Huic tamen uidetur Galeni sententia ualde aduersari lib. de cibis boni, & mali succi ad initium, ubi uidetur eorum medicorum recipere sententiam qui in peste illa Romana a missione sanguinis abstinebant, quod etiam licet colligere ex libro primo de differen. feb. cap. iiij. ubi cum nos docet modum præseruandi corpora a peste tantum de purgatione meminit, de missione sanguinis nec uerbum quidem fecit, huc accedit Auicenas qui in prima quarti in canonibus uniuersalibus admonet medicos ne nisi magna necessitate coacti uenã tũdãt. si urina, inquit, sit rubea & crassa, tunc mitte sanguinẽ, deinde subdit mea uero sententia quoad fieri potest a missione sanguinis est abstinendum, igitur si ueretur Auicenas mittere sanguinẽ etiam ubi appareant urinæ rubeæ & crassæ, quæ tamen sanguinis in corpore redundantiam præseferunt, quanto magis nobis á sangui

nis missione erit abstinendum in tenuibus, & aquosis urinis, quæ magnæ cruditatis sint nunciæ uel subiugalibus innati caloris preseferentes deperditionem, quemadmodum Galenus in secundo libro pronosticorum xxi. testatur, Huiusmodi autem in principio febris pestiferæ reperiri solitas urinas locupletissimus est testis Hippoc. in libro ij. de morbis popularibus, ubiq; enim tenues & turbatas urinas illis recenset. Sed par est diligenter hæc ad rationis iustum examen accuratius recurrere, hoc unum nunc supponentes, quod Pauloante comprobauimus febrem hanc in genere esse putridarum, quæ tamen nunc biliosæ naturam refert alias pituitosæ, ut unico humore quod alijs est peculiare contenta non sit, Altera rursum facta hipotesi, quæ lib. de curatione per missionem sanguinis cap. vij. a Galeno est optime illustrata. Virtutem nempe constare non posse, existente in corpore succorum crudorum copia ex quibus hoc efficiam manifestum, perpetuo in principio feb. pestiferæ constante uirtute aperiendam esse uenam & detrahendam esse eam sanguinis quantita-

tem magis & minus pro uirium robore. copiose in robustiore corpore, et ubi plures adsint mittendi sanguinis scopi, parcius uero ubi non ita potentes sint uires, sit æger bono corporis habitu in ea anni parte deniq; in qua ea desiderantur, quæ sanguineis mißionem non remorantur ac impediunt, sed de quantitate sanguinis aliquid detrahunt. Itaq; quod ex Galeno libro de cibis boni & mali succi adferebatur medicos in peste, quæ tunc temporis Romæ grassabatur nõ secuisse uenam, nostram sententiam non euertit; quandoquidem uirtus in illis erat prostrata, ob copiam crudorum humorum, quam ex mala uictus ratione ut usu leguminum & herbarum ob annonæ charitatem tunc romanum uulgus accumulauerat. Galenum autem libro primo de febribus cap. iiij. in peste abigẽda nihil de mißione sanguinis meminisse nõ est mirum. erat enim ea præcautio sanorum uel neutrorum corporum potius, in quibus pauca succorum copia redundabit, non curatio. Neq; enim arbitrandum est stante morbi magnitudine, uirtute, & ætate consentientibus Galenum us-

quàm dissuasisse mißionem sanguinis, in urina subiugali, quales uidebantur in illis romæ prorsus abstinuisset, imo ne infamaret reme dia solo eos pronostico reliquisset. At ubi te nues apparent urinæ a mißione sanguinis nequaquàm deterreri debemus, sicuti Hippoc. qui in tertio libro de morbis uulgaribus in primo ægroto a primo die ad octauum usq; tenues ac decolores urinas describit, ubi Galenus eum contextum particulatim exponens quo refert Hippoc. infirmum nugari consentaneum (inquit Galenus) erat ut Hippoc. ad missionem sanguinis pridie se conferret quando magnum immineret periculum a tenuitate urinæ minime perterritus.

AD QVEM VSQVE DIEM LICEAT MITTERE SANGVINEM. CAP. V.

MONSTRATVM *siquidem est in pestilenti febre uirtute consentiente a principio necessario mittendum esse sanguinem. Verum cum medici raro auocentur in principio morbi, non incommode hic inuestigabimus ad quem usq; diem mittendi sanguinis persistat intentio. Hac in parte uidetur uarius Auicenas. Nam quarta primi cap. de flebotomia eam fiendam quo uis tempore affirmat, his uerbis Nec auscultes, inquit, illis qui flebotomiam nõ esse bonam post quartum diem profitentur, imo post quadraginta dies eam impera, Oppositum tamen uidetur ipse sensisse in prima quarti tract. ij. cap. xxxviij. ad hunc ferè modum in principio, quando, inquit, est possibile ut tundas uenam ante tres periodos idipsum perfice. Attamen hic locus recte intellectus Auicenam liberat a calumnijs, etenim cum*

eo in loco pertractet de tertiana interpollata in qua quidem plurimum bilis redundat, maior primis diebus se offert mittendi sanguinis ad præcautionem indicatio, quando sanguis bili commixtus si per uenæ sectionem euacuetur non poterit conuerti in bilem, quòd si fiat post quartum proximum iam erit magna sui parte in bilem conuersus, cuius ratione adaugebitur febris, adeo ut iam mittendi sanguinis scopus non amplius persistat. Maius nobis negocium idem author prima quarti. tract. ij. ubi agit de canonibus uniuersalibus facescit, quo loco manifeste uult cum ab initio flebotomia non exequitur succedente tempore nullum illi reliquum esse locum, & quantum ego iudico (& si ita in omnibus codicibus deprehendatur scriptum) est error pirographi aut interpretis non ipsius auctoris, aliter sibi ipsi repugnaret & Galeno a quo tamen uidetur hanc sententiam desumpsisse lib. ix. methodi cap. v. quo in loco exponens numerum dierum nihil facere ad uenæ sectionem addit, quòd si, inquit, curare quandoq; cogeris infirmum, cui non solum antea secandæ uenæ re-

medium ommissum sit, sed nunc quoq; uel per medicorum ignorantiam uel ipsius laborantis nec nõ affinium timiditatem procedente tempore mittere sanguinem prohibueris ad alia te conuertas sic igitur meo iudicio legi debet apud Auicennam, cum postponitur flebotomia a principio, & non est amplius ei intentio rei. addendo hanc copulam, & neq; a seipso neq; a Galeno dissentit Auicennas. Restat igitur ut una cum Galeno in libro demissione sanguinis hoc concludamus in quacunq; die, & diei parte interdiu siue noctu si modo adsint mittendi sanguinis scopi, imperandam esse uenæ sectionem. Mittendi autem sanguinis scopi a magnitudine morbi desumi in primis debent, a uirtute uero etiam imbecilla nonnunquàm petentur si modo magnitudo morbi a copia materie potiusquã malignitate dependet, adeo ut per eam contingat uirtutem opprimi. Neq; hoc negaret Hippoc. quando ipse lib. iiij. de ratione uictus in acutis morbis contextu. xxiij. in apopletico sanguineo in quo defecta penitus erat & prostrata uirtus ea neglecta sanguinem minuat.

Mirum

Mirum tibi fortasse uidebitur me ipsum citra ullam limitationem cum Galeno suadere missionem sanguinis quocunq; tempore nulla crisis habita ratione. Ego sanè in hac firma persisto sententia sanguinis missionem crisim minime interturbare, quam rem potissime ex loco Hippocratis nuper tibi citato colligo. Postquàm enim imperauit Hippoc. eo in loco sanguinis missionem subiungit post reficias ægrum & habita ratione indicationis si non leuetur, uentrem purgato. ex accidentium se uitia conijciebat Hippoc. morbum tunc esse in statu, cuius ratione uetat pharmacum cum tamen amplexus sit interim uenæ sectionem quem locum uisus est Auicenas illustrasse, Nam cum is curat apoplexiam iubet fiendam esse flebotomiam, deinde cum alia remedia recenset sub fine capitis subiungit, quòd si febris ægrum apprehendat desistendū est per septuaginta horas ab alijs remedijs, quia forte erit crisis. Verum quid opus est testibus & cum id ratio ipsa compertum efficiat? cum enim sanguinem per uenæ sectionem educimus nullum penitus tum in humoribus tum in

spiritibus motum proiritamus, haud secus quàm a flumine riuulos in ripis confodiendo secunda unda aquam diducimus, non perinde contingit in unius tantum humoris eductione, quam per pharmacum aut catarticum exequimur, agitationem ac non leuem motum in humoribus excitantem teste Galeno in secundo libro de ratione uictus in morbis acutis comento.xi. Nec est quòd mihi quis obijciat. Hipp. in.ij. Aphorismorum aphoris. xxix. Cum morbi incohant si quid uidetur mouendum moue, cum uero consistunt ac uigent melius esse quietem habere. Nam hoc solum sibi uult Hippoc. quòd ubi nobis mouendum esset, præstat id a principio facere, quàm longiorem trahere moram, quia uirtus fastidita quemadmodum expouit Galenus procedente tempore non facile fert, nec ita tuto euacuationes, Non tamen negat Hippoc. nec Galenus quin urgente necessitate euacuandi permissionem sanguinis etiam in ipso statu uel parum ante statum euacuemus. Hoc fortasse animaduertit Auicenas in prima quar. tract. iiij. in cura uariolarum illis etiam appa

rentibus mitti sanguinem iubet, motus etiam potissime Galeni, auctoritate lib. vii. methodi cap. ultimo qui exponens eum aphorismum Hippocratis, quo natura uergit per conuenientia loca eo ducere, locum uult quandoq; esse quidem conuenientẽ respectu membri expurgandi, habita tamen materiei ratione nequaquam erit conueniens, & adfert Galenus exemplum apostematis existentis in gibba parte epatis. ueniret certe expurganda huius apostematis materia per urinas, uerum quia materia committens apostema crassa ualde est & uiscida melius per intestina educetur, quia meatus urinarij sunt angustiores quàm per eos huiusmodi materia permeet. Non dissimili ratione procedendum est in uariolis ac morbilis, ubi enim apparent perpendenda est materia peccans, si multa sit & crassa, quod si reperiatur existimandum est naturam conuenientem locum non intentasse (quod affabre mihi quandoq; proposuit excellentiss. non minus ac doctiss. Magister Ioannes Scotus) quia porri et meatus cutis admodum angusti sunt per quos subtile tãtum educi poterit, crassum

autem eductioni et concoctioni contumax nequaquam educetur, sed in corpore remanebit, quo fit ut hæc morbidorum materia priusquã partes ipsius subtiliores resoluantur ueniat per conuenientiora loca et uias ampliores educenda, quod cum commodius uenæ sectione perficiatur, quàm per medicamentum purgans, illam eligemus, quando missio sanguinis ut monstratum est antea(si Galeno credimus)omnes euacuet humores corpusq́; minus agitet. Quæret forte aliquis, si in principio pestilentis febris uel succedente tempore, cum uocatur medicus ab ægroto, una cum febre pullulet antrax, ut sepius fit, esset ne etiam tũc mittendus sanguis Galenus lib.iij. de compositione pharmacorum secundum locos cap.de parotide, ubi de repercussione uerba facit, admonet unumquemq́; diligenter debere animaduertere materiam fluentem, quæ si maligna sit nequaquam censet debere repercuti, dummodo non irruat in partem magni momenti & principem., quinimo potius motus naturæ attrahentibus medicamentis est adiuuandus, hoc etiam licet uidere in

libro secundo ad Glauconem dum curat antracem. Si igitur tunc mittimus sanguinem cum sit motus a circumferentia ad centrum, tantum abest ut naturæ motum adiuuemus ut retrahamus potius opposito modo, quam intentauit natura. Propterea Rasis in cura antraeis sicut et Auicenas quem uocat * * * dubij et anxij de mißione sanguinis uisi sunt. Ego ut hic sententiam meam interponam, sic iudico, longe aliud esse euacuationem a repercußione, euacuatio namq; extra corpus educit id quod retraxit. At reuulsio id solum potest ut ab uno loco in alium materiam transmutet, quæ si ibi sicut in pristino loco restiterit sui malignitate ac uenenositate poterit longe seuiora excitare symptomata, quo fit ut omnino, mittendũ esse sanguinem hic (sicut & antea) sentiamus dũmodo uirtus tolleret cũ adsit morbi magnitudo. Nec meherele fuerit inutile, si saphena eiusdem lateris, quẽ occupat antrax secaretur, id enim libro de cura per mißionem sanguinis cap. penultimo docet Galenus flegmones phyontes reuulsu esse curandas, sed et si abfuerit antrax hanc reuulsionem etiam am-

plectemur, quippe quæ materiam uenenosam, quæ suapte natura in membra principalia irruit, ita reuellit ut sine magno incommodo possit aliquandiu in corpore uelut sopita retineri. Nec propterea tamen nobis auferetur occasio mittendi sanguinis ex uena interna brachij, quæ haud parũ a princi. alioribus mem bris euacuat, ut locupletissimus est testis Galenus noster libro.iiij.de ratione uictus in commento contextus.xxiij.& in libro secundo eiusdem operis commentario.x.contextu. Illud tamen unum expedit diligenter obseruasse, ut cum hic morbus maximus sit cui ex sententia Hippocratis primo Aphorismorum aphoris.vi.extrema & exquisita remedia optima sunt uerum quia plurimum & de repente euacuare non parum nocet ut habet ipse.ij. Aphorismorum aphoris.51.prudẽter copiosa hæc sanguinis euacuatio in plures partes uenit partienda ex præcepto Galeni libro de cura per missionem sanguinis & lib. ix.methodi.cap.iiij.& quarto de tuenda ualetudine circa medium illius libri, quod transtulit in suam rem Auicenas, cui multipli-

catio numeri mißionis sanguinis mirum in modum arridet.

A QVA FACVLTATE VIdelicet an a uitali, animali an naturali sit desumenda indicatio de obeunda mißione sanguinis.

CAP. VI.

CÆterum quia pauloante in mittendo sanguine robur uirtutis requirebamus operæpræcium sumus facturi, si limitatione addita accuratius ista distinguamus. Enimuero ex Galeni sententia tres ponuntur facultates nostrum corpus dispensantes, naturalis, uitalis, & animalis, non iniuria dubitabit forte aliquis in mittendo sanguine, harum trium facultatum requiratur robur, an duarum, an unius dumtaxat, Nam Galenus lib. nono Methodi cap. x. postquam secundum placita Platonis has tres facultates recensuit, statim subiungit has seruare uirtu

tes nihil aliud est quàm seruare uitam, siquidem monstratum est, qualibet earum amissa necessarium est reliquas quoque unà perire, hæc Galenus ad uerbum, igitur cum hæ tres facultates indissolubili uinculo inter se copulatæ sint, ab omnibus tribus nobis sumendam esse indicationem merito quis suspicabitur. Iam si hæc diligentius quis animaduertat non ita facile se à quibusdam difficultatibus explicabit, uidetur namque Galenus ipse in v. libro de locis affectis cap. i. oppositum sentire his uerbis, cum monstratum sit tres esse uirtutes principales quibus regitur animal, quarum una in corde, altera in cerebro, tertia in iecinore residet principalior tamen est, quæ in corde consistit, semper enim mors ad immodicas sequitur cordis intemperies, simulq; cum ipsa aliæ uitiantur, alijs autem deperditis non oportet simul actionem cordis perire, ex his Galeni uerbis uidetur esse manifestum non qualibet earum uirtutum amissa necessario uitalem non deperdi quod tamen ix. libro methodi prædixerat. Verum ut Galenum ubiq; sibi similem nostra opera redda

mus, ita locus hic ex ix. lib methodi cap. x. uenit intelligendus, fieri non posse ut si una ex istis tribus facultatibus in totum deperdatur & corruat non posse reliquas superstites persistere, fieri tamen interim potest, ut actione unius ex istis tribus uirtutibus deperdita ut deperditio sensus & motus in apopletico, aliæ facultates cuiusmodi est uitalis persistat incolumis. Vitalis autem facultatis operatione læsa, alias statim deperdi est necesse & hoc sibi uult Galenus in libro de locis affectis cap. primo. Ex quibus iam efficitur manifestum secundum Galeni sententiam uirtutis uitalis functionem omnium maxime esse necessariam, ab eaq; cæteras dependere, quò fit ut hæc nobis dumtaxat Indicationẽ de mittendo sanguine denunciet, & hoc ipsum manifestius fiet ex ipso Galeno in commentarijs in librum primum Hipp. de ratione uictus in acutis morbis commentario contextus quartus ubi Hippoc. Nec sorbitionem (inquit) dare oportet crassam nisi post septimam, si ualidus sit, Hanc ultimam particulam exponens Galenus scribit ad hunc modum, sane,

inquit, & cibandi ac alia operandi scopum unum communem perinde sanis ac languentibus esse demonstrauimus, id autem uirtutis uitæ est custodia, quam nunc ostendit cum dicit ualidus sit, hæc ibi Galenus. Sic quoque & in libro de constitutione artis medic. cap. xviij. postquam præcepit in pronostico tradendo esse obseruandi morbi magnitudinem, & uirtutis robur addit statim. Viri etenim robur maxime ex pulsu cognoscitur, talis enim est operatio ipsius uirtutis uitalis. Idem etiã habetur libro vij. methodi cap. ultimo ubi non esse parem actionum præstantiam explicat, sed aliæ magis utiles sunt, aliæ minus. maxima itaq; existit cordis officij dignitas, atq; ægrotantibus omnium necessaria, cerebri quidem ad uitam par est momentum non tamen par roboris ipsius in ægrotante necessario ad salutem requirimus, itaque abunde fuerit, si tantum ipsius reseruatum fuerit, quantum ad respirationis munus obeundum erit necessarium. Hoc ita se habere ut dicimus, quilibet facile credet, si consulat Galenum in secundo libro aphorismorum in commenta.

xlij. aphorismi, ubi uidetur innuere Galenus quòd etiam cerebri influxu ablato a musculis thoracis, eos per aliquod tempus posse munus suum obire, scribit enim in fine illius commentarij ob hanc ipsam causam omnes musculi mouere coguntur seipsos in summam essatu dignam operationem. Idem ferè habetur in lib. de usu. ambhelitus, ac in vi. de locis affectis cap. vi. ubi fatetur hominem per aliquod tempus, sine respiratione posse uiuere. Huc accedit et quid clarius? quam quod habetur ab eodem Galeno, in lib. de curatione per sanguinis mißionem cap. x. ubi dum per uenæ sectionem sanguinem educimus, arteriam infirmi manu medici interim esse attrectandam iubet, quo accuratius iustiorem euacuationem ad uirtutis uitalis robur dimetiamur ac compensemus. Aliquis tamen forsan instabit aduersum ea quæ dicimus, & nobis opponet Galenum ipsum lib. ij. aphoris. in fine commentarij xxix. aphorismi, ubi Galenus uetat aliquid in statu operandum hac potißimum de causa, quia uirtus Animalis tunc temporis est defatigata, licet aliæ duæ

uitalis nempe et Animalis ualidæ persistant ergo concludet aduersarius in omni euacuatione maxime attendẽdum Animali facultati. Rescindendam esse hanc totam controuersiam sentio hoc modo, Galenum eo loco id sibi uelle duntaxat, quod ubi remedio aliquo contra morbum est utendum, id à morbi ipsius principio adferri oportere. Iuxta eum ipsum quẽ tunc interpretatur Aphorismum Hippoc. Cum morbi incohant si quid uidetur mouendum moue. &c. Quasi hanc tacitus uelit reddere rationem Galenus, si quis propius inspiciat. Quia in morbi statu tædio affecti sunt ægrotantes, præ diutina & acri uirtutum cũ morbo concertatione, hinc quia sæpius contingit omnium maxime Animalem facultatem resolui, propterea autumat satius esse eo temporis quiescere, ne ipsi ægro addamus tædium. Non ob idipsum tamen effici putauerim, ut secundum Galeni præcepta, tunc ab euacuatione desistendum nobis sit, modo uirtus uitalis non dissuadeat. Defraudantur tamen Medici tunc temporis suis conatibus, quia infirmi recusant remedia, ut pote tædio affe-

cti. Hoc enim uidetur annotasse Galenus libro ix. methodi cap. v. dum inquit. Quandoq; mißio sanguinis postponitur, tum propter Medici ignorantiam, tum uel quia ægroti ipsum recusant. Nec nostris decretis est contrarius Galenus li. xi. Methodi ca. xiij. ubi de uirtute cōcoctrice ualida egere nos in morbis affirmat. Vitali & animali, non adeo. Quia nullus morbus sanari potest, nisi rodentis humoris ualidè obeatur concoctio. Hoc enim potißimum signo nos docet Galenus in libro de constitutione artis Medicæ cap. xviij. et in libro. iij. de crisibus, uirtutis supra noxiam materiam prenoscere dominium etenim non eo inficias habita ratione materiei causantis morbum, facultatem concoctricem omnium maxime fore necessariam. Attamen si animam conuertamus ad indiuidui hominis conseruationem, à quo laborante, remediorum indicationem petimus, fateamur necesse est uitalem imprimis et ab hac Animalem nobis magis esse necessarias.

lenus lib. secundo Aphoris. in commentario Aphorismi xiij. ubi fatetur expresse omnes crises ferè, bene terminari, præter quam in pestilenti constitutione. Sed Galeni studiosis non paucis mirum uidebitur quod ab eo duntaxat pestis præseruationem non curationem ex lib. primo febrium cap. iiij. habeant. Qui si diligenter reuoluissent lib. xiij. Methodi in cap. ij. utique nihil in Galeno desiderarent. Præsertim cum eo in loco de materia uenenosa quæ eadem est cum pestifera habeatur sermo. Nempe ambas eiusdem esse moris & suopte impetu membra principalia obrepere, uel nobis nolentibus in dies experimur. Vnde eundem illis esse ortum in corpore, ne dum manifesta coniectura assequetur, sed firma præter id ratione cõprobabit. Quod & si uirulenta materia febrem non excitans hominem tamen interim iugulat, neque id perinde ac nec pesti febrem perpetuò excitare, iam deprehenditur. Ob id tantum superest ut quod in hac materia uenenosa nos doceat habemus esse faciendum, recenseamus. Lib. xiij. Methodi cap. ij. monet Galenus tria

totis

totis uiribus esse hac in re obseruanda. Vnum est ut a principio omni ingenio materia uenenosa tota euacuetur. Alterum, ut si manifesta qualitate peccet, per contraria eam oppugnemus exempli gratia, si caliditate, pestifera euadat, mitigetur frigidis quod reliqua ab euacuatione fuerit relictum. Tertium est ut si mala qualitate occulta deficiat, utamur tantum his, quæ proprietatem occultam obtinent. Denique nos hortatur, ut omni ingenio atque studio, ab ipso statim principio, priusquam altius inualescat uenenum, hoc tũ per ea quæ per intrinsecus adhibentur, tum cauterijs & alijs id genus præsidijs trahamus ad cutim. Qua ratione lib. quinto de facultatibus simplicium medicamentorum cap. iiij. Nunquam curari posse aliquẽ existimat, nisi ultra alia, totam hanc uenenosam materiam, ualenti adhibito præsidio per cutim expurgemus. quod ut exemplo pateat, si interempto Mulo uel diciſſo, æger intra ipsum recondatur, salutiferum nedum perutile fore censerem. Vnde lib. tertio de locis Affectis cap. vij. laudat Galenus eum Rusticum, cui cum

Viperadigitum momordisset ab ultimo morsi digiti articulo statim falce resecuit. Vnde quilibet discere potest, uenenosam materiam illico et quanto citius fieri potest ab ipso morbi initio modis omnibus è corpore esse extrahendam, & nullo pacto permittendum, in longum trahat moram in corpore. Quod si forte quispiam, nostrum hoc consilium non satis tutum suspicetur, propterea quod in huiuscemodi pestilentibus febribus exitari soleat fluxus quidam uentris, Quemadmodum Auicennas prima quarti tractatu quarto ubi agit de signis febris pestiferæ testatur, & Hippoc. pariter lib. iij. de morbis uulgaribus. Ex quo quidem maximè imbecilles cum redduntur, perseuerante quidem fluxu, periculosum esse existimabit uti uehementi catarthico. Huc accedit quòd omne medicamentum purgans trahendo, calidum existit. Ob id etiam uenenositate præditum ut etiam Galenus testatur lib. secundo de Ratione uictus, commentario xi. contextus. Quo fit ut si eo utamur, uidebimur non solùm addidisse ignē igni, sed etiam præter inductum à pharmaco

febris incrementum, adaugebimus pariter & uirus seu uenenum. Huc accedit quod dictum illud tantoperè ab Hippo. & Galeno celebratum, contra nos totum conuertimus. concocta nempe esse duntaxat medicanda, & non cruda, nisi ubi turgeat materia. Quæ tamen sententia nisi religiose obseruetur, accident ea incommoda de quibus Galenus in cõmentario ipsius Aphorismi, & Auicennas in prima quarti tractatu ij. Nocebimus nãq; concoctioni non parum, & permiscemus bonum ac laudabile, cum maligno, & subtiliores partes tantum educentur, crassiores uero, cum trahenti medicamento non cedant, (quemadmodum testis est Galenus lib. primo de crisibus cap. v.) ibi relinquentur. Nec recipienda est eorum sententia, qui ut hæc in commoda sicco pede effugiant, aiunt Pestilentem hanc materiam esse turgentem, & ut ipsi inquiunt furiosam. Quandoquidem Galeno indice lib. quarto Aphoris. commentario secundo, ea similis est Animalibus concitatis ad Venerem; quod nullam cum hac retinet similitudinem. Tum etiam quia Hippo.

lib. i. Aphorismorum, Aphorismo xxiiij. sanxierit, in acutis affectibus rarò atque id ab initio purgantibus medicamentis utẽdum. Cui subscribit Paulus Aegineta li. secundi ca. xxxvij. qui à principio febris pestiferæ duntaxat exhibet catapocia ex Aloe Mirrha, et croco confecta. Quorum uirtus non transcendit hepar. In qua quidem sententia prorsus uidetur fuisse Aetius lib. quinti cap. lxxxv. à quibus non dissentit Cornelius Celsus lib. tertij cap. vij. Quæ omnia cum contra nostrã sententiam aliquid uideantur molliri, imò potius contra Galeni sententiam, quem hac in parte sequimur, & arbitrati sumus hic fore imitandum si usquam alibi, par est ad rationis calculum obrimari. Imò nullo negocio eis quæ nobis obijcerentur satisfaciemus, ut omnibus facilè ponamus præ manibus Pestilentem hanc materiam, à principio totam esse extirpandam & erradicandam. Vnum prius reuocantes in memoriam, quo dilucidius ea quæ sequuntur intelligantur; quod à Galeno li. primo de differentijs febrium cap. ij. est proditum. Sympathiam utpote tenuem facilius

inflammari. quò fit ut facillima sit ab humoribus ad spiritus caliditatis transumptio, non tamen unà cum spiritu accenduntur humores. hinc facilius incurrimus diariam quam putridam febrem. Quod non præter rem mihi uisus est Auicennas accommodasse continuis incipientibus. Nam in prima quarti tractatu tertio agens de febre phlegmatica, arbitratus est optimo iure ob hanc ipsam caussam pituitosarum febrium calorem, esse in principio magis feruentem quia tenuiores partes pituitæ facilius & prius inflammantur crassioribus. Nec secus accidit in febre pestifera, in qua ut Galenus docet ca.iiij.lib.primi de Differentijs febrium, humores, ab inspiratione contagiosa in primis putredine inficiuntur. Sed cum humores sint in duplici differentia, partem enim subtiles sunt, partim crassi, propter quam diuersitatem diuersorum symptomatum quæ nunc tenues, nunc crassos humores testantur, assignabat Galenus caussas, in principio lib. de cibis boni et mali succi. Quam obrem, tenues & subtiliores humores, ab initio quem & contagiem ab inspiratione ae-

ris ſtatim, ſoli concipient. qui etiam ab ipſo morbi principio à pharmaco educi poterunt. Craſſi uero qui in corpore relinquuntur, cum nimium infecti ſint, quid mali quæſo commit tere poterunt? Nec eſt propterea quod mihi obijciat quis Galenum lib. quarto de tuenda ualetudine, circa medium lib. ubi Galenus, cum craſſi & crudi humores in corpore exiſtunt, nec ſanguinem mittendum eſſe ſuadet, nec alui deiectionem adhibendam. Alioquin inciſa uena, bonus (ut ipſe ait) emittetur ſanguis, malus uero qui in primis uenis colligitur, in totum attrahetur corpus. Deiectio autem in talibus, ſimiliter Tormina & torſiones creat, animi quã deliquia, cum eo quod nihil notatu dignum educit Quando humores craſſi, pigri, ad motum ſint inepti. Quo fit ut omnes uias potius obſtruant per quas id quod medicamentum deijcit, ad aluum ferri debebant. Itaque ut rem uno uerbo concludamus, Nec ipſi educuntur, & alijs ſunt impedimento. Et ob id tantùm Hippo. dixit in Aphoriſmis, concocta medicari. hæc fermè ibi Galenus. Cui facilè eſt reſpondere,

disparem longe esse rationem, nostro proposito. Quod si casus contingeret quem ibi depingit Galenus, extremam uidelicet adesse humorum cruditatem in primis uenis, arbitrarer tunc, satius esse nihil mouere, priusquam arripuissem occasionem attenuãdi crassos illos, ac glutinosos humores, & aperiendi meatus cum oximellite, aut aqua mulsa, in qua esset uis Origani uel Pulegij, quemadmodum illis habetur, & in primo lib. Aphorismorum xxij. & manifestius in libello eo cui titulus est quos & quando purgare oporteat. Verum neque illud in febre putrida perpetuum esse asseuerat Galenus. Quod si forte in pestilenti febre adesse quandoque contingeret, Prauitate morbi ipsius coacti, qui non dat inducias, cogimur ista omittere, & ad affectus huiusmodi magis presentaneum remedium statim recurrere. Quod & iubet Galenus ipse in eo lib. cui titulum fecit quos & quando purgare oporteat. Vnde eos qui aliter arbitrantur, increpat Galenus lib. quinto Methodi cap. xiij. his uerbis. Minime igitur (sicut Medicorum nonnulli censent) à par-

uis incipiendum auxilijs est, nec sicut illi dicunt sentiendum, ista scilicet prius esse tentanda, quæ si non profecerint, aggredienda esse maiora. Nam in morbis in quibus non impendet periculum, uera hæc opinio est. At ubi moriendum penitus ægro sit, alienissimum est à ratione à minoribus incohasse. Optima est Hippo. sententia, ad ultimos morbos, ultime remedia optimè ualere. Hæc ibi Galenus. Si igitur hoc dictat ratio ut semper à leuioribus sit inchoandum, id tamen ui morbi impulsi præuertimus præuertimus, cur ēt si nobis ea prorsus affectio quæ à Galeno proponitur lib. eo quarto de tuenda ualetudine offeratur, à uehementi Medicamenti exhibitione deterreri debemus? Educentur enim humores saltim subtiliores, (quos tantum in principio prius infici ostendimus) & si aliquā tulum difficulter. Quod & si Galenus dicat eo loco, parum esse quòd educitur, id de humore crasso & tenaci intelligit, difficultatem eductionis ad humores tenues referens duntaxat. ita ut difficultatem eductionis tantum (quam ui morbi impulsi non animaduer-

timus) non quod impossibile sit innuat. Verum si aliquis iterum nobis obiiciat id quod à principio huiusce nostri tractatus supposuimus, febris hoc pestilentis genus quemlibet nostri corporis putredini paratiorem humorem arripere, ita ut pituitam atque atram bilem (si putrido affectui par sit) inuadat. non igitur (dicet aliquis) subtiliores humores perpetuo ab initio contagiem suscipient crassis illesis. Hoc proculdubio contra nostram sententiam habet aliquid uirium & momenti. nisi foret id quod tam antea ex Auicēna adducebamus, ex prima quarti tractatu secundo ubi agit de febre phlegmatica, Pituitam partem subtiliorem habere, quæ multo prius ac facilius à principio inflammatur & putrescit. Quod idem de Atra bile sicut in cæteris humoribus dicemus. Ob id non imus inficias contagiem, hunc tenuem, uel illum crassiorem succum arripere. Verum id tantum asserimus tenuioris cuiuslibet succi, perinde atque crassi tenuiorem partem prius contagio affici & facilius quam crássiorem. His cognitis facile est respondere ad ea quæ in con-

trarium proposita fuere. Dicebatur enim catarthicum omne medicamētum esse calidum, quod si propinabitur adaugebit febrem. Satis namque ipse Galenus huic obiectioni satisfecit in libello cui titulum fecit quos & quando purgare oporteat. His uerbis, Non enim (inquit) febris gratia, feruidæ qualitatis medicamentum (quod quantum in ipso est, nocere scimus) porrigimus, sed ut humorem lædentem extirpemus. Vnde utilitas maior resultabit, ex lædentis humoris extirpatione, quam nocumentum ex medicamento corpori illatum. Adeo scilicet difficile est huiusmodi aliquod auxilium inuenisse, quod citra ullam noxam magnificè prosit ut scitè à Galeno lib. undecimo Methodi cap. xi. est dictum. Venenosum (inquies) est medicamentum purgans secundum Galenum ergo addes uenenum ueneno. Certè plura non minus nobilissima quam efficacissima medicamenta, ab omni prorsus uenenositáte immunia nostro hoc sæculo explorata esse nullus est qui nesciat, quorum facultates nec Galenus neque Dioscorides cognouere. Etenim quod uulgus Medico-

rum & officinæ omnes nunc Rheubarbarum uocant, & punici Rauedſeni, hoc celſus radicem ponticam, Dioſcorides Rha, & iuxta quoſdam Rheon, ſecundum alios Rhian, Plinius Recoma, Galenus quemadmodum Dioſcorides interdum Rheon, interdũ Rhian, aliquando Rheon ponticúm appellat. Eo antiqui ipſi ad uentris purgationem non utebantur, ſed antidotis immiſcebant. Primus (quod meminerim) Auerrois Cordubenſis Galenum cæteroſq; Medicos taxans qui conſtringere eum putant, nedum ſubductiuum uentris, ſed inter cætera purgantia medicamenta eſſe ſcripſit præcellentisſimum. quem ſecutus Ioannes Damaſcenus cognomento Meſue, ubi multa pharmaca ſalutaria quæ benedicta uocat, recenſet, ſerioſam & honorificam illius mentionem facit. Cui hac in re. Sicuti & in reliquis recentiores Medici credentes, tanti illud fecerunt, ut aliquando auri præcium æquarint. Hoc igitur Medicamentum benedictum in hac peſtilenti febre utpote non minus in tenuibus humoribus (quos prius contagio affici docebamus) extir-

pandis efficax quam utile uel à principio in usum nostrum accommodabimus illud infundendo in decocto ex floribus ac rebus cordis temperiem confirmantibus. Quod si cupiam syrupum Rosaceum solutiuum immiscere libuerit, id non uitupero. Hic enim non minus ab solutionis robur quam ad cordis confirmationem conferet. Verum si ualidiori pharmaco opus quandoq; sit uti in eo in quo latitat & scaturit uenenosa ea qualitas, uenenum ipsum cum aromatibus refrangemus. Sicut fecit Hippo. libro secundo de ratione uictus contextu xi. & Galenus in fine illius libelli. Quos et quando purgare oporteat. Vnde subit mihi mirari eorum stupiditatem, ne dicam manifestissimum errorem, qui cum frigidis & stipticis, medicamenta calida corrigunt; eorum operationem defraudantes, & potentiorem eorum uim attrahendi, quæ potissimum à caliditate perficitur, comminuentes. Nam ubi Medicamenti calorem diminuunt & infirmant, illud in ampliore mensura exhibeant est necesse, quo suum munus obeat, aliter nihil profeceris. Sicq; quod pro

uiribus contendebamus effugere ut medicamenti uenenum tolleremus, interim uel nobis nollentibus turpiter admittimus. Fluxus autem uentris, qui solet hosce affectus ex tertio de morbis uulgaribus frequenter comitari, non propterea prouenit ob medicàmenti exhibitionem. Quandoquidem inueteratos huiusmodi affectus, ubi uirus iam altius inuasit, & ubi est depopulatus non solum tenues humores, sed etiam crassos, solet contingere. Nunc uero nostra opera potius præcauebitur. Nam euacuatis subtilioribus humoribus, craßi qui reliqui sunt, ueneni malignitate facti sunt immunes. Cum enim crassi humores à tenuioribus ab ipso morbi principio non euacuatis contagiem assumpsissent, eo quod diutius in corpore permixti permansissent, tunc temporis uim naturæ inferre soliti, per diarrheam eijciebantur nihil demum morbo conferentes. Sed nec quod ex Hipp. adferebatur concocta duntaxat esse medicanda non cruda, nisi fortè turgerent, hic nullam contra nostra dicta facit uim. Illud enim duntaxat habet locum in humoribus craßis et

uiſcidis, qui medicamenti uiribus non obediunt. Sed aliter longe ſe habet res in tenuibus humoribus, qui ex ſe ipſis mobiles exiſtunt, motumq́; naturæ & medicamenti adiuuant. Vt uidere eſt apud Galenum libro primo de criſibus cap.v.& in libello ſæpius iam ante citato quos & quando purgare oporteat, circa medium illius libelli. Et licet propter humorum craßitiem quæ in conceptaculis occluditur aliquo modo impediantur ſubtiliores humores quo minus ita citò expurgentur, difficilior propterea duntaxat redditur eorum eductio, & non planè impoſſibilis, quemadmodum anteà dicebamus. Propter quam difficultatem mihi uiſus eſt Hippoc. in aphoriſmis, In acutis ægritudinibus raro atq; id à principio purgantibus Medicamentis utendũ. Propterea quod ut declarat Galenus uiæ eductionis non ſunt paratæ. Hinc ſequitur difficilis tantum eductio, cum torminibus & animi deliquijs. Attamen dummodo talis eductio non planè ſit impoßibilis, quemadmodum firmißimis argumentis comprobauimus non propterea deſiſtendum eſt in his morbis

ubi uitæ imminet periculum. Nam materia hæc ſi in corpore eo uſq; incorpore permittatur, quouſq; altius inualeſcat contagium, cum omnem naturæ operam refugiat, hominem neceſſario iugulabit, ut antea demonſtrauimus. Nonnullos poſſet (nec id præter ſpem) reicere contra nos, propterea quod tentemus educere à principio ea, quæ nullo modo educi poſſunt. Quando materia quæ initio febris peſtilentis actu lædit, in pectoris regione maxime lateat. Probabile ſiquidem eſt inſpiratione eo loco primo eas partes labefactari, quæ infecto aeri in primis obijciuntur. at has eſſe Thoracis interiores partes, nulli dubium eſt. ex quibus nihil, medicamenti opera educi poſſe, confirmat Galenus libro quinto de locis cap. iij. præter quam in paucis admodum & monſtroſis corporibus, in quibus ſtelechiæ quædam uena de qua Galenus ſexto libro de locis affectis cap. iiij. reperitur. Nec tamen periculum facere ob id debet Medicus, cum raro admodum hoc reperiatur, & pro fortuitibus ſint hi euentus reputandi quibus nunquam ſe intromittet medicus, dūmodo ſit ſa

næ mentis. Non posse autem è thorace per sedem educi materiam, licet per Anathomem contemplari. Si enim existat in pulmonibus duntaxat per sputum educi poterit, uel fortè per aliquem leuis arteriæ ramulum, in sinistrum cordis uentriculum deferetur. Inde ad arteriam adhorti, & continuato fluxu ad poros ueteres, demum per urinam tandem expelletur. Si uero ultra pulmonem in octo costis inferioribus inueniatur hæc materia, euacuari tantum poterit per uenas quæ illis deferunt alimentum, ea est unica, quæ quia sine pari existit, uocari solet uulgo ab Anathomicis, Vena sine coniuge. Hæc ortum habet ab eo uenæ cauæ ramo postquam dextrum cordis sinum ingressus est Vnde fit ut si materia ab illis partibus educi debeat, necesse est ut ipsa prius subeat dextrum cordis uentriculum ubi existens, illinc nisi per uenam arterialem in pulmone transiens per eas uias quas recensuimus, tantum educetur. Per ramum uenæ illius qui ad uenam cauam deriuatur, quomodo exire poterit? cum ab intro foras in dextro sinu cordis

clauda-

claudatur. Verum & si Galenus libro secundo de ratione uictus commentario.x. Venam hanc sine coniuge, quæ quatuor inferioribus costis suppeditet alimentum, oriri dicat prius quam uenæ cauæ sursum ascendens ramus cor ingrediatur, inter thoracem & dextrum cordis uentriculum, oppositum tamen nos hodie docet experientia, quam cum improbum sit ullius quantumuis excellentis hominis authoritate contemnere, Iusta de causa mihi uidetur Andreas Vessalius diligentissimus naturæ & Anathomiæ humani corporis speculator, hac in parte (quod magni in sectione uenæ in affectibus thoracis sit momenti) contra Galenum insurrexisse. quinimo et ipse Galenus (licet id Vessalius non animaduertat) uidetur errorem suum deprehendisse. quod ita esse patebit cuilibet intuenti ea quæ apud ipsum libro quinto de locis affectis ca. iij habentur. Scribit namq; inferiores octo costas omnes, ali a uena quæ iuxta cor oritur. His dictis redeamus iam ad rem, & ostendamus materiam in Thorace existentem nullo modo posse à pharmaco per aluum expurgari. Ete-

*nim si materia sit in costis superioribus, per missionem sanguinis duntaxat trahi poterit. exhibito enim Medicamento, attrahatur prius (secundum propositam Anathomen) in dextrum cordis sinum est necesse, cuius occasione, hominem sui malignitate iugulabit, potius quam iuuet. Sed concedamus (quod tamen mihi non sit uerisimile) uenenosam materiam ingredientem opera pharmaci dextrum cordis uentriculum, nullum homini inferre detrimentum. Vt inde exeat, nulla prorsus est uia, nisi aut per uenam arterialem in pulmones deferatur ut diximus antea, uel si forte alia uia est, hæc erit ut in sinistrum cordis uentriculum cõmigret. illinc uero per arteriam * * * extrahi tantum poterit, à qua in emulgentes, ei unus patet aditus, ut inde in renes descẽdat, sicuti antea declarauimus. Sed quam sit difficile, ne dicam summe periculosum, uenenosam hanc materiam à dextro cordis sinu in sinistram in primis commigrasse, quis non uidet? præsertim cum uel ipsius Galeni testimonio libro* vi. *de usu partium cap.* xvi. *cuilibet iam euaserit mani-*

festum, meatus hos qui sunt à dextro cordis uentriculo in sinistrum, admodum angustos esse, adeo ut sensum fermè fugiant. & solo sanguini tenissimo in spiritus conuertendo, nedum crassiori materiæ uix pateat aditus. Quod si materia in Empimate in concauo thoracis contenta, educitur, alia uia educi non poterit (ut satis superq; ostẽdimus) nisi ut per extrema ora bruncorum quæ ad ultimam pulmonum superficiem terminantur recipiatur, à quibus per meatus transibit, & non poterit ad aluum deferri ut antea probauimus Ex quibus lippis & tonsoribus manifestum iam euadet, materiam in thorace contentam per sedem expurgari non posse. Vnde fit ut cum materia in principio pestilentis febris, maxime in Thoracis interioribus partibus lateat, per medicamentum purgans extrahi non posit. quod tamen antea multis in medium aductis argumentis, in ægrotantis salutem, affirmabamus obnixè obseruandum. Hac in parte dissimulare non possum difficultatem argumenti maximam, adeo ut non parum urgeat. quantum tamen ego indico, sic putarim

esse totam hanc rem rescindendam. Etenim Medicus in extirpanda materia (quæ uel nunc facit morbum, uel potest morbum inducere) tria sibi proponit, Reuulsionem, Deriuationem & expurgationem, quæ omnia si assequi non potest, id tamen saltem conatur præstare, quod indicat fore utilius, quantum ad artem pertinet. Itaq; si hac in re nobis proposita, materiam actu lædentem euacuare non poterimus, saltem per Medicamenta intentabimus Reuulsionem, trahentes à simis hepatis ad intestina. Qua in re secutura est aliqua Deriuatio, & naturam quantum fieri à nobis potest, tanto opere leuabimus. Idq; unum non prætereundum exequemur, humorum uidelicet partes tenuiores educemus, quæ in toto corporis ambitu continentur. has enim ex Galeni & Auicen. sententia putrido & contagioso affectui priuationes esse initio demostrauimus. Quod si, ne lues in totum deferatur corpus euitauerimus, aut si quæ iam concepta est extirpemus (in quo acrem excitare febrem poterant) facilius partibus thoracis affectis medebimur. Et saltim melius illis,

cum Medicamentis quæ à tota ſubſtantia, uel (ut aiunt) à proprietate occulta uenenoſam qualitatem oppugnant, ſuccurremus. In quorum numero Theriacam maxime præpollere experientia & authoritate deprehendimus. ac alia id genus multa quæ tum à Galeno tum ab alijs fide dignis authoribus habentur.

Verum quidem hac in re ſatis demirari non poſſum nobiles hos lapillos (quos uulgus nominat precioſos) à medicis recentioribus tanti fieri, unde omne robur cordis in uenenoſo affectu illis ſolis acceptum referant. Quod ſi rē hanc lubet accuratius contemplari, comperiemus mehercule illos terræ eſſe ſubſtantiæ, à quibus quomodo uapores elleuari poßint qui cor petant, non uideo. adeo id mihi non ridiculum modo ſed abſurdißimum uidetur. Solam hi & otioſam in uentriculo terream congeriem coaceruabunt. Quæ autem à nobis dicta ſunt de expurganda per medicamentum Thoracis materia, niſi recipiantur, non uideo quomodo intelligere illi poſtmodum poſſint Hippoc. libro ſecundo de ratione uictus, qui in pleuritide dolore deſcendente ad hypo-

condria exhibet Eleborum, eodem prorsus mõdo & Galenum ipsum libro quinto Methodi cap.xiij. qui in phtisicis catapocia quæ diuersos euacuent humores imperat. Non ut humores à thoracis partibus educeret, sed ut per ea corpus redderetur mundum, & ne pulmonem ulcus foueri amplius posset ab humoribus eo confluentibus hoc enim nisi præcauere tur, futurum esset ut cederet in laborantis graue uitæ discrimem. Quod si quis nobis obijciat Galenum libro quinto de tuenda ualetudine non longe à fine illius libri. Vbi dicit terebintinam & Resinam pulmones sicut & cætera uiscera abstergere atq; purgare, his ferè uerbis. Similiter & terebinthi resinam, sumitur autem & aliquando nucis Ponticæ magnitudine, aliquando duarum triumue, quippe non modo aluum citra noxam soluere potest, sed etiam uiscera omnia, iecur, lienem, Renes pulmonemq; abstergere. Quibus uerbis apertè elicitur contra sententiam nostram, materiam nedum in thoracis concauo, sed & ea quæ in pulmonum brochijs infarcta est, pharmaco educi posse, quod tamen

planè esse impossibile tum ratione, tum etiam per anathomen comprobauimus. Ad hoc respondemus Terebinthi resinam illud potissimum nobis commodum inter cætera præstare, quod renes abstergit, qua ratione, materias in pulmonibus existentes ad ureteres ac demum in renes attrahendo, eas per urinæ uias expellit, expurgari autem Thoracem per urinas nusquam ibimus inficias. Hactenus doctrinæ clarioris gratia multa de euacuatione materiei pestilentis diximus, quæ quo certa methodo & breuiori compẽdio memoriæ mandentur, præstabit summatim in Epilogum redigere. Primum igitur quod nobis obeundum proponebatur erat Enæma, si modo aluus foret sicca. Cum nanq; ex Auicennæ sententia mittendum esse sanguinem decernebamus id faciendum prius non erat, antequam excretæ fuissent feces. Ex ipsius testimonio tamen prima quarti cap. xx. qui hoc à Galeno est mutuatus, quem si consulamus, comperiemus non fecis excretionem, sed tantum chili à uentriculo mutationem scripsisse. Sed præstat Galeni uerba secundum Linacri inter

pretationem ex libro nono methodi cap. v. recensere ait enim. Attendenda uero cum uenæ secandæ indicationibus sunt tum quæ ea præcedunt, tum uero quæ omnino excipient. Nam si præcedat ciborum cruditas in uentriculo, tanto tempore differre uenæ sectionem iubebis, quantum satisfacere tum ad eorum concoctionem, tum ut inde excrementa descendant, uidebitur. Verum Auicennam uersio antiqua deduxit in errorem. Id tantum mihi dicere liceat propter eos qui ubi sententiam Auicenne tam superstitiose obseruant, ut nisi obseruetur graue aliquod putent peccatũ commisisse. Enæma igitur in primis ægrotanti imponetur si temporis occasio dabit locum et spacium utilioribus alijs remedijs. Secundo loco saphenam pedis secabis, quando uidelicet excretus fuerit clyster. Deinde infirmum paululum quiescere permittes, ac demum iterum uenam internam brachij dextri tanges si uirtus constet ac corporis plethora illa suadeat copiosius uel parcius de sanguine educes. Interea medicamentum confici curato, quod exhibebis hora una post ultimam uenæ

sectionem. Medicamentum huic rei erit accommodatißimum quãtum ego iudico, si hoc modo conficiatur. Sumerem Rhei barbarici mundi ac puluerizati ad ungum drac.ij. picæ parum. Et quia tempus infusioni accommodum non superest, præstantius foret si illud cum idonea Decocti quantitate de quo paulo post, exactißimè dissolueretur. Cui adiugerem Agarici confecti uel ut aiunt Trociscati drac. i. Quantum enim Agaricus partes Thoracis expurget, & ad uires cordis conferat, discere licet unicuique ab Auicenna in xi. drac. ij. eo tractatu ubi agit de curatione dispositionum cordis. Huic medicamento si uncias duas syrupi Rosacei immiscere libuerit, id ego plurimum probarem. Rosæ namque cordis temperiem confirmant, Decoctum autẽ ita conficiatur. Recipe passularum unc. se. hordei mundi unc. i. florum boraginis, uiolarum, & buglossæ, singularum drac. ij. Thimi, Epithimi, Radicum Polipodij, folliculorum senæ singulorum scrup. ij. quæ decoquantur secundum artem, imponendo flores in fine decoctionis. Quod si per loci distantiam,

batis auctoribus qui de his scripsere discere abundè poteris. Vt de Bolo armeno lib.ix. de facultatibus simplicium Medicamentorum cap.v. illic enim describit Galenus ipsius laudes, & sic de singulis. Sunt qui Theriacæ drac.i. propinent, quæ si fideliter nostro hoc æuo confici posset, eam ego uehementer probarem. Deinde desume succini electi scropulos quatuor, & foliorum Mirthi, corticum citri, florum nimpheæ, Rosarum, uiolarum, singulorum drac.i. Croci, Maceros, sandalorum, citrinorum, singulorum drac. vi. camphoræ, ambræ, benzoi, singulorum scrup.i. ex quibus fiat puluis, quo impleatur saculus, confectus ex purpura sindone & aqua Rosacea consperso eo uelutí clypeo aduersus Pestis iniurias, cor muniatur. Stomachus autem hoc potissimum unguento, roborari poterit. Olei rosacei omphacini unc.ij. olei de spica odoriferi unc.se. Pulueris cinamomi, gariofilorum, singulorum drac.se. Rosarum, sandalorum, citrinorum, singulorum scrup.i. cum modico ceræ & aceti rosacei fiat unguentũ molle. Deinde cordi, hepati, & testibus, pan-

ni applicandi sunt, crebroq́; renouandi, hac mixtura madefacti. Aqua rosacea p.iiij. Vini optimi p.i.aceti rosati p.v.pulueris superius descripti drag.ij.Quibus præsidijs testes roborare non abs re poteris. Nam hi in acutis morbis omnibus si confirmentur conferent cerebro, cordi, & deniq; toti corpori. quia non parum in uniuersum corpus obtinent influxum, & plurimum ad cerebrum iuuandum faciāt.quod testimonio Auicenæ in quinta tertij.tract.primo cap.xiij.confirmari potest. Hæc enim in catarrhi calidi cura de hac re sic scriptum reliquit. Amministrentur(inquit)in ea embroce maturatiue, & resolutiuæ, & inunctio extremitatum cum oleis calidis, sicut est anethinum. Frangantur eis testiculi & quæ secantur eos, & anus & extremitates. Hæc Auicenas. Post hæc si qua in parte exteriori tumor uel dolor aliquis prodit in lucem, locus hic decoctione Camomilæ foueatur. Et si quando uel mißionem sanguinis, uel catharticum uel id genus aliqua imperabis, loco tumore affecto prius appones cucurbitulas. quibus remanentibus, re-

media munus suum obire permittas, ne uirus in totum corpus inde deferatur. Super tumore mox ubi apparere cœperit, inter omnia placet, ut uitellus oui bene salitus apponatur, & crebro permutetur. Vel uerbascus herba, cum radice contusa, bonoq; uino alboconspersa, & in proprio inuoluta, sub cineribus calefacta. Tum uero etiam si maturus non uideatur phlebotomo est aperiendus. quo aperto uulnus cum succo Apij, & melle, purgandum est, longoq; tempore apertum conseruandum, ut uirus benè expurgetur. Demum communibus auxilijs, & implendum, & glutinandum & ad cicatricem est deducendum. Domus autem frigidis fructibus, folijs salicis, uitium, cannarum est sternenda. Aceto & aqua rosacea irroranda, frigidis suffumigijs aliquando suffumiganda. Cibaria uero si adsit febris ardens, & uirtus persistat, sint ptissana, cum succo limonum confecta. Panis in uino granatorum intinctus, cum zucecharo confectus. Quod si uirtus deficiat, conficiantur ex pullis contusa, cum rebus acidis præparata. Oua etiam sorbilia in aqua

rosata & aceto antea per horam infusa, olera frigida ut cicorium & endiuia, nec non fructus acidi quibus uesci poterit. Potus autem sit uinum granatorum tripla aqua dilutum. Hæc sunt quæ mihi opportuna uissa sunt, ad pessimi huius morbi propulsationē. Volens uero prætermissi nonnulla multum ab antiquis cellebrata, partim quia nunc nostro sæculo sunt incognita, partim etiam quia parum mihi credita, & explorata.

QVIS LOCVS ATQVE AER salubris sit ac quomodo præparandus sit. *Cap.* VIII.

D*ECLARATVM fuit pestilentem febrem a putrido inspirato aere in primis excitari aeremq; ipsum multipliciter corrumpi posse, expedit ut nunc doceamus, quinam sint loci, aeris habita ratione salubres, tum qui insalubres, ac qui morbi loca ipsa consequantur, demum quibus modis locus atq;*

aer preparandus ſit, ut uel in noua regione ſalubrior poßit haberi habitatio. Hippoc. tres in ſuo libro de aere & aquis in principio conſiderationes attulit, à mutatione primam, à uentis ſecondam, ultimam uero a ſitu, ſimul autem fermè expoſitis cauſis horum ſigna habentur, qua ratione Auicenæ uiſum eſt, ſufficere ut de his inter cauſas tractaret, cum ſigna ſint hæc a priori, quo fit ut nobiliſsima ſit hæc tractatio, non ſolum ob finem, qui per ſe eſt neceſſarius ac utilis, ſed etiam ob demonſtrationes, quæ in his habentur; ut naturales perfectiſsime ſunt, cauſam rei & rem oſtendentes ſimul. Quod igitur ad mutationem temporis attinet regulam generalem habet Hippoc. in eo libro fol. ij. in fine. Nempe ubi tempora magnam ſuſcipiunt permutationem, morbi acuti ac uehementes fiunt, ſi uero frequens mutatio temporis ſit, at non uehemens ut romæ, neceſſarium eſt ibi multos apparere morbos ut in. iij. lib. aphoriſmorum aphoriſmo primo & hoc etiam euenit, quia homines aduenæ non poſſunt eſſe adeo cauti in permutandis ueſtibus opportune ſe premuni-

endo aduersus iniurias temporis, si frequentes ac ualide sint temporis mutationes, erunt morbi etiam difficiles non solum frequentes, si ergo ueniant consuetis in temporibus erunt salubres regiones, dummodo in contrarijs nimium non excedant, demum permutationes quæ ad siccitatem sunt, salubriores sunt, quæ ad imbres morbosæ magis. Ventorum autem ratio sic se habet, borealis omnium saluberrimus, hoc argumento probat Plinius libro xvii.cap.iij.quod arboribus austrum spectantibus celerius defluant folia, serius aquilonem. Dicitur regio spectare boream, quæ montem habet ab austro, ipsa uero ab aquilone deflecta est & elleuata (ut inquit) Rasis iij.libro ad Alman.cap.xxvi.quia tamen boreas nimis acer est, laudat regiones expositas orienti potiusquam boreæ, & hoc dicebat Iosephus indus in sua nauigatione uolens reddere rationem cur in caranganora ciuitate quæ ab equinoctiali circulo distat ferme partibus quatuordecim, homines uiuant centenis annis illæsis etiam dentibus, dicit igitur quod ibi euri ferme toto anno regnant, ob id dico

quod

quodubi ciuitas ſit in malo loco & in malo aere, tunc domus & ipſa urbs debet exponi boreæ ſi autem ſit in bono loco & aere, exponatur domus & urbs ipſa orienti, & hæc eſt concordia inter principem ſecunda primi doc. ſecunda cap. x. & Raſim, ſed poſt boream ponitur eurus etiam in expurgando aere, poſt zephirus, ultimus & pernitioſiſſimus eſt auſter, ut tertio aphoriſmorum aphoriſmo quinto. Eſt etiam conſiderandum quod Vitruuius docet in cõdenda ciuitate effugere omnes uentos, at hoc ut eſt commodum habitantibus ſic minus ſalubre; Ille igitur conſulit commodo & decori, & medicus aliter ſaluti, Cum uero urbs conſiſtit circundata a tribus partibus montibus, tunc uni uento tantum exponitur et ſi ille uentus etiam ſit ſalubris, ut boreas, eurusue, regio tamen incommoda eſt ac inſalubris maxime aduenis ob uehementiam illius uenti, quare domus non debet, nec publicæ uiæ illi uento exponi, ſalubres igitur urbes ſunt, quæ duobus aut tribus uentis (inter quos auſter non numeretur) expoſitæ ſunt qualis eſt Salucienſis ciuitas, item quæ omnibus ut quæ in cacumine montium, ſi etiam

uenti suis temporibus flant, salubriores si alie nis, morbosi. uidere etiam successionem bonum est, nam boreas notho succedens magnos facit morbos, ut peripleumonias et phlegmones sub costis, in euro tamen et zephiro hanc rationē nos obseruare iubet Auicenas. ij. primi doc. ij. cap. x. ut si eurus mane spiret, aut zephirus uesperi salubriores sint, quoniam ex loco quē iam Sol expurgauit, spirant, at contra insalubres si eurus uesperi aut zephirus mane perflauerit, eandem rationem si cui mons niuibus obsitus ab austro positus sit, auster illi urbi humidioris cuiusdam boreæ uicem obtinebit. Ciuitates igitur quæ male quoad uentos positæ sunt, trium sunt generum, aut enim omnino à uentis non perflantur, & hoc quia in humilimo sunt loco, et de his dicebat Rasis li. iij. cap. xxvi. quod incurrunt lipitudines, et similiter si habuerint uentos humidos spirantes ac corruptos, ut ex aquarum stantium et paludū locis, circa quod scire expedit, quod malus aer primo nocet cap. ij. uitalibus membris tertio naturalibus aqua uero mala primo nocet naturalibus membris, post capiti, demum uitalibus membris hinc solo malo aere non

fit hydrops, nec regius morbus, Demum loca montuosa salubriora sunt, quam concaua & depressa, et maxime si aquæ stagnantes prope eam sint, quod si hæc pratis habundent ac flumina decurrentia prope habeant salubriora erunt. Cum uero ad singularem aeris cognitionem deuenire uoluerimus primo in aere hæ tres differentiæ sunt considerandæ, ut si est bonus uel malus, subtilis uel crassus, et quæ qualitas ex primis in eo preualuerit, horum omnium signa ex duobus excipiuntur, ab effectu & a causis, causæ sunt ut mare flumina, ostia fluminum, paludes, imbres, herbæ, arbores & animalia, ab effectu dignoscitur aer bonus uel malus, ut docebat Auicenas in.ij primi doc.ij.cap.x.et Rasis in tertio ad Almans.xxvi.quoniam malus aer præfocare nos uidetur, bonus uero est cum nos recreare deprehenditur, item cum est turbulentus puluerulentus ac fœtidus item abundantia reptiliū denotat aeris corruptionem ut dicit Auicen. prima quarti tract.iiij.cap.iij.item ubi uidemus homines male coloratos, ut est uidere florentiæ, item ubi uarie in die fiunt permutationes ad serenitatē ac nebulas. Vitruuius po-

nit quod antiqui dũ loca eligerent pro castris aut urbibus cõdenosis, plures uictimas macta bant, et iecora inspiciebant, unde post usus trã siit in religionem, Nam pingue rubrum hepar cum adipe candido salubrem aerem & aquã loci in quo uictima depasta est significat, adipe autem existente subcroceo aut subflauo & quod lapidosum ipsum sit malum aerem malã deniq; aquam loci nuntiat. Aer tamen magis in acutis, aqua uero in diuturnis morbis est causa. Subtilitatis autem aeris, signum est, si uesperi ab occasu solis cellerime refrigeretur mane uero ab eius ortu cito incalescat crassus utrunq; tardius facit, Aliud est signũ exhalationes terræ ac fumi a longe magis in tenui quam crasso uidentur aere, calidus uel frigidus sensu percipitur, humidus aer deprehenditur ex lapidibus semper madentibus, in sicco aere semper politi sunt, item ex spongia aeri exposita si humescat illud deprehẽditur, subtilis aer prodest iuncturis nocet diuturnitati uitæ nocetq; capiti, Crassus autem prodest uitæ ac capiti, ac minus est susceptibilis malarũ qualitatum, nocet tamen iuncturis, uitalibus membris, sed longeuiorem reddit hominem.

Exteriorum uero causarum ratio sic constat, Mare iuxta Auerroem, quatuor modis salubrem reddit regionem, primo quia salsedine corruptioni resistit, secundo humore cōfert ad uitæ longitudinem, tertio quia spirant semper uenti eum purgantes, Quarto quia temperat aerem. flumina uero uelociter currētia aerem attenuant, ostia uero ubi flumina mare ingrediuntur, aerē corrūpunt, causa est, quia dū mare æstuat (æstuat autē. xij. hor. singulo die) fluminis aqua retinetur, in halitus transit aerē corrumpentes. Terra rubea bonitatem aeris nigra uero uitium denunciat secundum Rasim tertio ad Almans. cap. xxvi. Si urbs paludibus propinqua sit ac aquis stagnantibus imbribusq; frequens ualidis uentis eget & maxime borea uerum si palus aut specus uersus boream sit, boreas illi pestem inferret, auster uero illi salubrior erit, quādo hic alitus putridos auferat ille autem inferat. Specus etiam ingentes morbosam reddunt regionē ut dicebat Seneca in iij. naturalium qō. ca. xxi. imo et pestiferam efficiunt, & precipue si ab oriente aut septentrione prohibeant uentos purgantes regionem, sintq; arbores male qualitatis, ut sunt

hæ, quas enumerat Auicen. in ij. primi doc. ij. ca. v. nuces, ficus & arbores amari corticis ut etiam taxus, hæ. n. arbores aerẽ corrumpunt similiter eruca, caules, Theophrastus enumerat abrotanum ac plura alia. Plinius laudat in lib. xvij. cap. xij. alnum ulmum populum, et regulam generalem dabat, omnes arbores longi pediculi. Verũ nõ leuis occurrit dubitatio, quia dictum est de mente Auicenæ arbores amari corticis aerẽ corrumpere. At Theophrastus ait in lib. vi. cap. xiij. de plantarum causis, oẽs arbores bene olentes esse amaras illas autem emendare aerem clarum est, ut iuniperus mirtus, medica laurus, & inter herbas lilium assarum et rosæ, dicendum igitur, solum inodoras ac male olẽtes quæ licet amaræ sint aerẽ uitiare, sunt et quædam animalia, quæ aerem malum emendant et equi, quædã uero bonum corrumpunt ut serpentes et bombici in patria nostra qui sericum efficiunt non parum aerem uitiant sic & cadauera inhumata. Demum Auicen. ij. par. doc. ij. cap. xi. scite quidem docuit quo nam pacto aer emendetur sole namq; admisso ad intra ædes ut quàm diutißime eas collustret permittendum est secundo si boreæ

uento pateant, cum.n.eum exceperint frequen ter repurgantur. proximus a borea est eurus, si igitur locus aerem habeat bonum ædes ori- ente & occidente pateant, concludantur uero a meridie et septentrione, aliter erunt incom- modæ si autem aer sit uitiosus pateant orienti & septentrioni ab alijs partibus occludantur si tamen ut a meridie amplis fenestris soli pa teãt, cum lucidissimo die ac sereno sol terra illustrat, alijs temporibus minime aperiantur Quod si ad nouam regionem commigrare con tigerit, ibi noctis ac utriusq; crepusculi, dieiq; initium medium ac finem deuitent ne per ci- uitatem ambulent nec flante uento ut uero sic malum, ita optimum ab eorum flatu & ab imbrium casu urbem perlustrare, quod autẽ optimum est ut ab æquinoctio autumnali leui serico ac inferius cotto. usq; ad uernũ perpe- tuo caput ĩtegatur, hoc.n.aeris iniurias maxi me arcet. Habitare in hypocausto hyemis tẽ- pore conuenit sic tamen ut flabellis, quod si ali ter fieri nequit. aer expurgetur ac dimoueatur singulis diebus fenestras aperiendo, qua parte est sol, aut uentus auxiliaris spirat, ibi etiam aut ubi dormitur; ac etiam in summa æstate

ignis accedendus est, aerem enim emendat tũ maxime odoratis inspersis, hyeme ut thus et relinquere ut etiã perpetuis noctibus ardeant, æstate uero ex rosis, santhalis. cũm uero domo exit quis aurei mali corticem aut medici aut cirenaicam succum cum aceto semper in ore contineat multum. n. confert ac etiam graueolentia oris corrigit, habeat et uiridarum ex odoratis herbis ut rosis uiolis limonibus ac malis cotoneis, sed super omnia si fieri potest, quæ acidum spirant habeantur, talis est lambrusca, Quod si contigerit ut uenti malum aerem reddant ac coinquinent terrena casa habitanda est ut etiam superius diximus, si uero id ex malo illius loci situ proficiscatur, tunc in fastigio domus uitam hylarem ac salubriorem agemus, hoc deniq; pacto aeris etiam pestiferi iniurias facile effugiemus, uel ut ne corrumpatur (quoad fieri poterit) præcauebimus.

FINIS.